



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. Leonardi Lessii E Societate Iesv Theologi Opusculum Asceticum Posthumum

Lessius, Leonardus

Lovanii, 1643

36. De Deo Illuminatore & Luce.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46564](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46564)

grauitatem clariùs cognoscere, & miserias illas acri cogitatione crebrò possim reuoluere; vt salubriter expendam quantus sit oceanus malitiæ in quouis peccato mortifero, ex quo in animam & corpus exundat tantum pelagus miseriarum; & tanto studio coner illud vitare, & tibi placere, quanto par est vt summum malum fugiamus, & ad summum bonum contendamus.

CONSIDERATIO XXXVI.

*De Deo Illuminatore,
& luce.*

Illuminator dicitur; quia omne lumen corporale & spirituale ab ipso est: ipse hunc mundum corporeum, qui antea in tenebris erat, gratissima & copiosissima luce, qua omnia recreantur, perfudit. Ipse omnes spiritus luce cognitionis naturalis impleuit.

2. Quia

2. Quia omnis doctrina supernaturalis, omnis cognitio & illustratio, qua vel Angeli, vel homines disponuntur & eleuantur ad salutem, ex ipsius benignissima reuelatione descendit. Ipse solus potuit nobis reuelare consilium & decretum suum, quo ab æterno statuit nos facere participes gloriæ suæ, & quibus vijs ac medijs ad illam nobis esset, perueniendum. Sine hac luce omnes essemus in tenebris, ignorantes & viam, & terminum.

3. Quia omnes in tenebris afflictionis & mæroris constitutos, si ad ipsum confugiant, illuminat, eos cælestium bonorum cognitione consolando. Vnde Psal. 34. *Accedite ad eum, & illuminamini, & facies vestre non confundentur.*

4. Quia lumen gloriæ quo mens nostra perfusa & illustrata, Deum clarè in se ipso, sicuti est, & omnia
creata

creata in Deo, & sub Deo videbit, ab eo solo infunditur. Et hoc modo per lumen gloriæ illuminabuntur omnia obiectiuè; quia omnia in luce clarissima cognitionis omniū beatorum ponentur; perinde ac si ipsa lumine gloriæ perfusa forent.

Lux dicitur 1. tanquam fons omnis lucis corporalis & spiritalis, & omnis cognitionis. Omnis enim cognitio, lux est illuminans mentem, & obiectum: mens enim, illustratur vt subiectum recipiens cognitionis lucem; obiectum verò, vt res quæ menti per lucem manifestatur, cùm antea illi esset tanquam obsita tenebris.

2. Quia ipse est sui-ipsius & omnium intelligibilium seu illustrabilium lucidissima, certissima, & firmissima cognitio, absque vlla ignorantia, vel obscuritate; iuxta illud *Deus lux est, & tenebræ, in eo non sunt vllæ.* Hinc totum regnum possibili-
lium,

lum, lucidissimum est; quia illustratur infinita luce cognitionis ipsius.

3. Ipse est lux per excellentiam, utpote infinitè supra omnem lucem creatam & creabilem eleuata; in qua, omnis lux eminentissimè continetur; & à qua, omnis lux, ut tenuis participatio descendit. Dicitur *Lucem habitare inaccessibilem*, quia cognitione, amore, & fruitione habitat in se ipso, qui est lux inaccessibilis; cum nulla creatura viribus naturæ possit illam, vel sola cognitione attingere.

CONSIDERATIO XXXVII
De Deo ut est refugium nostrum

Dicitur *Refugium nostrum*; quia in omnibus afflictionibus animi & corporis, in omnibus tentationibus, in omnibus periculis, in omnibus angustiis & neces-